

ad formalem rationem distinctionis, maior est simpliciter falsa: quia oportet quod uni primo a quo procedit aliqua distinctio, sive sit rei, sive rationis, immediatissima sit aliqua distinctio alterius rationis, quia aliqua finita, & quia illa, quae est alterius rationis, est primo finita, ut arguitur est. Et hoc patet, quia secundum communem opinionem, ubi unitatem realem sequitur in ordine distinctio rationis, ibi illa ratio distincta, habent distinctionem alterius rationis, non eundem: & illa est maior, sed secundum formalem rationem distinctionis, licet sit minor duplici modo. & maioris plenitudinis, & minoris realitatis, & incompossibilitatis in extremis. Per hoc patet illud de pluralitate, quae est immediate a Deo, quia in creaturis, ubi natura specificae sunt pluralitate in suppositis, nulla est necessaria determinata, quia a sola voluntate agens sunt tot, vel tot, ita quod non repugnat naturae esse in pluribus: si ergo talia plura ejusdem rationis sunt immediate a Deo, sunt tamen finita in actu, quia voluntas divina imponit eis finitatem; sed non sunt necessario finita, quia nihil est intrinsecum creaturis, cui contradictorie repugnat maior vel minor pluralitas, quaecumque enim pluralitas est possibilis in Divinis, ipsa est omnino finita.

Q U A E S T I O III.

Utrum ista duo possint simul stare, quod relatio, ut comparata ad oppositum sit res, & ut comparata ad essentiam sit ratio tantum.

VISO de productionibus, sequuntur quaestiones de relationibus; & primo de relationibus originis. Secundo de relationibus communibus. De relationibus originis primo, quaeritur, in comparatione ad essentiam: Secundo in comparatione ad personam. Tertio quantum ad perfectionem, sive qualitatem propriam. Est ergo quaestio prima: Utrum ista duo possint simul stare, quod relatio, ut comparata ad oppositum sit res, & ut comparata ad essentiam, sit ratio tantum? Arguitur quod non, quia si ut comparata ad essentiam, sit ratio tantum: hoc est, quia ut sic transit in essentiam, sed ut comparata ad oppositum, manet eadem ratio, quia, ut sic, est eadem essentia, quia nullo modo potest esse non eadem, propter simpliciter divinam: ergo si est ratio, ut comparata ad essentiam, necessario est ratio; ut comparatur ad oppositum. Ad oppositum arguitur, sicut comparatur ad essentiam est ratio. Probatur, propter similitudinem divinam: ut autem comparatur ad oppositum, non est ratio, sed res; aliter non constitueret realiter distinctum ergo praedicta simul stat.

Hic sunt tria evidenda. Primo, si relatio originis in se sit res, & quae secundo comparata ad essentiam sit res, & quae res: Et hoc apparet, quia compossibilitas, vel incompossibilitas istorum, de quibus quaeritur. Tertio, circa dicta in solutione quaedam dubia occurrentia dissolvuntur. De primo: quia deequivoco non est simpliciter respondendum: & hoc nomen res, sicut patet ex auctoritate loquentium de isto nomine res, est equivocum, ideo primo distinguendum est de hoc nomine res; Sicut autem colligitur ex dictis auctorium, hoc nomen res potest esse

mi communissime, communiter, & strictissime. Communissime prout se extendit ad quodcumque, quod non est nihil, & hoc potest intelligi dupliciter, verissime enim illud est nihil, quod includit contradictionem, & solvi illud; quia illud excludit omne extra intellectum, & in intellectu: quod enim est sit includens contradictionem, sicut non potest esse extra animam, ita non potest esse aliquid intelligibile, vel aliquod eis in anima, qui nunquam contradictorium cum contradictorio constituit unum intelligibile, neque sicut obiectum cum obiecto, neque sicut motus cum obiecto. Alio modo dicitur nihil, quod nec est, nec esse potest aliquid extra animam, & extendit se ad quodcumque, quod non includit contradictionem, sive sit ens rationis, hoc est praecise habens esse in intellectu considerante, sive sit ens reale, habens aliquam entitatem extra considerationem intellectus. Et secundo accipitur in illo membro, minus communiter pro ente, quod habet, vel habere potest aliquam entitatem non ex consideratione intellectus: Et istorum duorum membrorum (quorum utrumque pertinet ad primum membrum distinctionis) primum videtur valde extendere nomen rei, & tamen, ex communi modo loquendi, satis probatur: communiter enim dicimus, intentiones Logicas esse res rationis, & relationes rationis esse res rationis, & tamen ista non possunt esse extra intellectum: non ergo nomen rei, secundum usum loquendi, determinat se ad rem extra animam, & isto intellectu communissimo, prout res, vel ens, dicitur quodlibet conceptibile, quod non includit contradictionem, sive illa communitas fit Analogia, sive univocativis, de qua non curio modo, possit poni ens primum obiectum intellectus: quia nihil potest esse intelligibile, quod non includit rationem entis isto modo, quia ut dictum est prius includens contradictionem non est intelligibile, & isto modo, quaecumque scientia, quod non solum vocatur realis, sed etiam quae vocatur rationis, est de re, sive de ente. In secundo autem membro, istius primi membri, dicitur res, quod habere potest entitatem extra animam. Et isto modo videtur loqui Avicenna *1. Metaph. c. 5.* quod ea quae sunt communis omnibus generibus, de qua non curio potest illud intelligi de vocalibus in una lingua, quia in unaquaque lingua est unus conceptus indifferens ad omnia illa, quae sunt extra animam: conceptus enim sunt idem apud omnes, primo *Perihermenias*, & communiter in qualibet lingua est unum impositum tali conceptui communi, qualescumque sit illa communitas, sive analogica, sive univocativa. Habemus ergo primum membrum, scilicet communissime, bipartitum, in illud, scilicet quod non includit contradictionem, qualescumque esse extra habet, & in illud quod habet, vel habere potest, proprium esse extra intell. cum, & isto modo, vel utroque modo, vel saltem secundo modo, accipit Avicenna *rem, & ens, ut dicitur est.* Secundo modo accipit Boetius distinguendo rem contra motum rei, sicut loquitur libro d. *T. in. Patet, inquit, quae sit differentia predicationum, quia alia quidem quae rem monstrant, alia quae circumstantiam rei, quia istae praedicantur sic, quod secundum se rem aliquam monstrant. Illa vero, ut*

non esse, sed potius extrinsecus aliquid apponunt: vult ergo distinguere rem contra circumstantiam, & sic, secundum eam sola tria generantur: Substantia, Qualitas, & Quantitas rem monstrant, alia vero rei circumstantias. Hoc ergo nomen, *rei*, in secundo membro accipiunt, dicitur aliquid ens absolutum, distinctum contra circumstantiam, live modum, qui dicitur habitudinem ipsius ad alterum. Tertius modus habetur a Philosopho, qui dicitur septimo Met. *Accidentia dicuntur entia, quia sunt entia, & in eis c. 3. sicut de non ente Logice quidam dicitur esse non ens, non quidem simpliciter, sed non ens: sic & qualitatem*. Et infra, *quemadmodum non sibile, & quemadmodum medicinale, eo quod ad idem quidem, & unum, & unum, sic & de ente*. Et videtur eandem sententiam dicere in principio quarti, quod quemadmodum medicinale, & salubre multipliciter dicitur & ita & ens. Ens ergo, live simpliciter, live potissime dictum, & hoc, live sit analogum, live univocum, accipit ibi Philosophus, pro ente cui per se, & primo convenit esse quod est substantia sola. Sic ergo sub primo membro, *communissime*, continentur ens rationis, & ens quocumque reale. Sub secundo, ens reale, & absolutum. Et sub tertio, ens reale, & absolutum, & per se ens. Ex ista distinctione patet, quod passio, si relatio sit res, nullam difficultatem habet de re, tertio modo accipiendo, vel secundo modo: quia non est substantia neque ad se: tantum ergo difficultas est de primo membro, sed nec de ente rationis, quia patet quod relatio est intelligibilis sine contradictione. Est ergo hic sermo, si habet esse, live sit res habens entitatem realem propriam extra animam. Et de hoc dico, quod est res. Secundo qua res? Quod autem relatio sit res, probat habitudo consequens extrema realia, & realiter distincta, & hoc est natura rei, esse realia, quia entitas eius, qualem habet, non est praeclara in anima, & per consequens ipsa secundum entitatem propriam, est res suo modo, sed habitudo patris ad filium est talis, ut patet ex secunda quaestione ordinata. Ex hoc apparet quae res ipsa sit, quia si sit singularis, vel est ad se, vel ad alterum, ipsa formaliter est res ad alterum: nec ista determinatio, ad alterum, repugnat ei, quod est res, ismo modo loquendo, quia ismo modo, res non distinguuntur contra modum, vel habitudinem, vel circumstantiam rei, sed includunt eam.

De secundo articulo: primo dicitur illud, quod est reale. Secundo quantum pertinet ad Logicum consideratio huius propositionis: relatio ut comparatur ad essentiam est res. Tertio patet de compossibilitate, & incompossibilitate istorum de quibus quaeritur. De primo dico, quod relatio, ut comparatur ad essentiam, est res: quod probatur esse: quantum aliquid quocumque modo distincta, constituit tertium, non constituit illud, nisi ut aliquo modo se habent ad invicem, vel aliquo modo uniantur: & hoc apparet de causis extrinsecis, quae nunquam causant nisi aliquo modo concurrant ad causandum, & magis de causis intrinsecis, quae non constituntur suppositum, nisi ut suo modo uniantur: essentia autem & relatio, secundum omnes, constitunt personam, qualemque ratione in habeant principii ergo hoc est in quantum concurrunt, quod

quod non possit esse, nisi ut relatio est in essentia. Ex hoc habeo, quod essentia, & relatio constitunt personam: non nisi ut relatio est in essentia, sed relationem esse in essentia est relationem habere comparationem ad essentiam veritissimam, quam potest habere extra considerationem intellectus; ergo relatio non constituit personam nisi ut comparata ad essentiam; sed non constituit personam, nisi ut res, alioquin persona est constituta formaliter, non esset res; ergo relatio ut comparata ad essentiam est res. Secundo sic quia aut comparatio ad essentiam, est omnino ipsamet relatio, aut aliquid superveniens, live rei, live rationis, non ergo quantum ad propositum. Si est omnino ipsamet, patet quod ipsa sit res ex primo articulo, & cum ipsamet sit sua comparatio ad essentiam: ipsa ipsa ut comparata ad essentiam, est res. Si secundo modo, nulla habitudo adveniens cuicumque live absoluto, live respectivo, sive etiam illa habitudo sit realis, live rationis, destruit illud, cui advenit. Sed potius praesupponit: patet de intentionibus secundis, quae non destrunt rationes intentionum primarum quibus adveniunt: non ergo destrunt illa realitas relationis per hoc, quod est comparata, & per consequens patet propositum. Ex hoc patet quae res sit, quia ad quodcumque comparatur aliquid, ipsum est ipsum: nam secundum Philosophum primo Phys. *quod vere est, nulli accidit, & esto quod substantia bovis comparata ad hominem, non sit substantia hominis, tamen semper est res, & quae res est? substantia; & quae substantia? bovis, quia ipsa est ipsa: sic haec relatio, quae essentialiter est ad alterum, nunquam est non res, nunquam etiam ipsa est nisi ipsamet res ad alterum, comparatio autem (ut dictum est) nunquam destruit realitatem propriam, sed praesupponit.*

Hic tamen est alius modus dicendi de istis relationibus, qui talis est. Relatio comparationem importat, & ad oppositum, & ad fundamentum. Est alio autem ordine habet, quod est realis simpliciter, scilicet ex ordine ad fundamentum: est alio, quod una sit distincta ab alia, scilicet ex ordine ad oppositum. Primum modo essentia divina est realitas omnium relationum divinarum. Ideo secundum huius comparationem non differunt realiter, sed de secundo modo: ergo: &c.

Contra, illud, quod aliquod ens habet entitatem, eo tantum fundamento pro oximo unitatis, est unum unitate correspondente tali entitati, & per consequens distinctum a quocumque ente non habente hanc unitatem, a quo ergo relatio est res in alia, extra suam causam, ab eo est distincta realiter a relatione quocumque, quae non est ipsamet, live quae non est ens entitate propria ipsius. Confirmatur specialiter de relationibus in Divinis: quia quaelibet relatio, scilicet personalis, seipso formaliter est incommunicabilis, quod autem seipso formaliter est incommunicabile, seipso formaliter a quocumque communicabili est distinctum: ergo relatio a quo habet suam realitatem, quae formaliter est incommunicabilis, ab eo habet distinctionem. Praeterea: Si essentia ut dicitur, est realitas omnium relationum, & ideo secundum illam comparationem non differunt realiter, ergo cum illa comparatio sit etiam in essentia, sequitur quod, ut sunt in essentia, non differunt realiter: ergo ut sunt in essentia, vel nullo modo differunt, quod omnino est irrationabile; vel lo-

la ratione differunt. & si hoc, ergo constituta per ipsas ut sunt in essentia, sola ratione differunt. Personæ autem constituntur per ipsas, ut sunt in essentia, ut dictum est in prima ratione, ergo, &c. Quantum ergo ad istud videtur rationalibus, quod ab eodem habent, quod ut realis, & quod fit distincta a relatione opposita. & hoc intelligendo quomodo concurre: nam non est intelligibile quod fit realis, nisi fit realis habitu ad oppositum, & sic realiter distincta ab opposito: nec ipsa potest esse realiter distincta ab opposito, nisi ut habitu realis: & sic est res, eomodo quo libri convenit esse res: seipsa ergo formaliter est res, & seipsa iormaliter est distincta ab opposito: a fundamento autem habet utrumque fundamentaliter & radicaliter.

Quantum autem ad Logicam ista propositio: *relatio ut comparata ad essentiam, est rei, videtur distinguenda*, quia ista, *inquantum, vel secundum quod*, vel *ut*, dupliciter accipiuntur: aliquando enim habitudines notant rationem accipiendi illud, quod determinatur per ipsam: aliquando etiam non solum hoc, sed proprie important causalitatem respectu inherente prædicati. Exemplum, motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia, *ly*, secundum quod; importat rationem, secundum quam motus est actus mobilis: quia cum sine in mobili due rationes: est enim in actu, & est in potentia ad aliud: motus est actus eius, ut consideratis in potentia: nec tamen ibi hoc, quod est a secundum quod est in potentia, notat causam inherente prædicati, quia quando sic accipitur, insert universaliter secundum Philosophum *Priorum*, ut iustitia est bonum secundum quod bonum, sequitur secundum ipsum, ergo iustitia est omne bonum, & planius a parte subjecti, ut si homo secundum quod rationale, intelligit, sequitur, quod omne rationale intelligit. Hoc modo etiam, quando idem ponitur determinatio sui ipsius mediante hac ditione *inquantum*. In primo ergo sensu consideratur præcisa ratio ipsius, quod determinatur: in alio sensu notatur, quod relatio reduplicat fit ratio inherente prædicati cum subiecto. Primo modo dicitur, quod homo consideratus *inquantum* homo, est præcisissime consideratur: secundo modo, homo, secundum quod homo est rationalis: quia quod consequitur reduplicacionem, est ratio inherente prædicati: & etiam conceditur potest quod homo secundum quod homo, est rationalis: & est ibi causa inherente in secundo modo dicendi per se. Ad propositum, cum dico, quod relatio, ut comparata ad essentiam divinarum, est res potest intelligi dupliciter: Primo modo ut relationi considerata sub tali comparacione convenit hoc prædicatum *res*: Vel secundum modo, quod illa comparatio fit ratio inherente huius prædicati, quod est *res*; secundo modo propositio est falsa: quia illa comparatio ad essentiam est sola comparatio rationalis. Est enim inter extrema non distinctus realiter, relationem, scilicet & essentiam: que tamen potest intellectus comparare, & ita est inter ea relatio rationalis. Non ergo de isto intellecto loquimur, sed de primo, & tunc est sensus quod paternitas non solum præcise accepta, secundum quod paternitas: sed etiam secundum quod considerata sub ista ratione, ut comparatur ad essentiam, vel ut est in essentia, est res, quia ista comparatio non minuit, nec destruit paterni-

nitatem esse rem: sed præsupponit, sicut procedit secunda ratio ad conclusionem secundi articuli. Exemplum, homo ut rationalis intelligi, hæc non est vera sic, quod rationalis fit causa inherente prædicati: sed sic est vera, quod homini considerato sub ratione rationalis non repugnat hoc prædicatum *intelligere*, sed convenit: Et isto modo quæcumque determinatio, sub qua consideratur subiectum, quæ tamen non excludat prædicatum, non invalidat propositionem, in qua prædicatum dicitur de subiecto sic determinatio.

Ex istis patere potest illud, quod queritur. Sed oportet primo videre intellectum huius quod dicitur, quod relatio est ratio. Nam quod aliquid dicitur ratio, potest ad propositum intelligi dupliciter. Uno modo, quia est modus illius, cui comparatur, & non res tali realitate, sicut Boetius vocat habitudines circumstantias, & non res: quia non habet talem realitatem, qualem habent illæ, quarum sunt circumstantiæ: & quanto aliquid recedit a realitate perfecta, tanto magis accedit ad rationem. Alio modo aliquid, ut accipitur sub ratione formaliter, potest dici ratio, vel ens rationis, sicut homo ut universalis, dicitur esse ratio, pro quanto consideratur sub universalitate, quæ est per se ratio. Istis duobus modis potest concedi, quod relatio ut comparatur ad essentiam est ratio, quia est modus circa essentiam, & non habet talem entitatem formaliter, qualem habet essentia: sed est quasi circumstantia respectu eius; & etiam cum dico, ut comparatur ad essentiam, hæc comparatio ut (dictum est) importat respectum rationis, & sub ea consideratur paternitas; & pro tanto paternitas, ut comparatur ad essentiam, est ens rationalis, quia acceptum sub ratione. Sed five sic, five sic, fit ratio, quod paternitas ut comparatur ad essentiam est ratio, non tollitur, quin paternitas fit res, quia quantum ad primum, ipsa suo modo est res, scilicet res ad aliud, licet dicitur ratio respectu rei ad se. Quantum ad secundum, ipsa considerata sub ratione, que est comparatio ad essentiam, dicitur ratio quia illud, sub quo, consideratur non habet puritatem exitu, ipsa tamen est res, quia illud sub quo consideratur non destruit realitatem eius, sed ipsam præsupponit: comparatio enim alicuius ad alterum præsupponit entitatem secundum se, Ex hoc patet quod ista stant simul, quod ipsa relatio comparata ad essentiam fit ratio, scilicet duplici modo prædicto, & tamen quod ipsa, ut comparatur ad essentiam, fit res, sicut iam dictum est. Stat etiam, quod ipsa comparata ad oppositum fit res: quia ipsamet esse comparatio ad oppositum, & ipsamet esse ipsa res, que est talis comparatio & magis veritate dicitur res, ut comparata ad oppositum, & ratio ut comparatur ad essentiam: quia ut comparatur ad oppositum est æque & similibus entitatis cum opposito, nec respectu eius habet rationem modi, sicut nec e converso. Similiter ipsa est comparatio sui ad oppositum: Et ideo cum dicitur, ut comparata, non consideratur sub aliqua ratione, que proprie dicitur ratio: non enim est aliud paternitas, ut comparatur ad filiationem, quam paternitas ut comparata ad filiationem, & hoc est in speciali paternitas ut est paternitas. Stat ergo simul, quod paternitas, ut comparata ad oppositum, fit res, non tamen eo modo, quo ut

comparatur ad essentiam, esse res, sed ut comparata ad oppositum esse res istis duobus modis: quia similitudo entitatis distincta, contra modum, & est res non accepta, sive considerata formaliter sub ratione, & quod ipsa comparata ad essentiam sit ratio, propter duos opposita, quia, scilicet, modus essentiae, & quia accepta sub ratione, quae est ipsa comparatio ad essentiam, tamen utroque modo, & ut comparatur ad oppositum, & ut comparatur ad essentiam, esse res, & eadem res: quia ipsa met est comparatio realis, ut probatum est.

De Tertio articulo arguitur contra praedicta. Primo sic. Si relatio comparata ad essentiam est res: ut ergo res ad se, aut ad alterum: quod relatio ut res ad se qualitercunque, videtur includere contradictionem: ergo ut comparata ad essentiam est res ad alterum: sed ut comparatur ad essentiam est idem quod essentia: ergo relatio, ut idem est essentia: vel ut est essentia, est res ad alterum, & tunc ultra: ergo essentia est res ad alterum. Ista consequentia probatur per similitudo: quia si homo secundum quod rationale, intelligit: ergo rationale intelligit: & ratione etiam, quod praedicatur, quod convenit alicui per rationem alicujus, prius convenit rei. Item, si relatio ut comparata ad quodcunque, sit res propria realitate: ergo similiter relatio in creatura, ut comparatur ad fundamentum, est res propria realitate, & non precise realitate fundamenti: ergo est ibi accidens propria accidentalitate: quia non est ibi substantia, & tunc sequitur, quod alia est accidentalitas relationis in creatura: & consequentia absoluta, in quo fundatur, & sic videtur sequi processum in infinitum, quia illa accidentalitas relationis habet propriam realitatem, & non nisi accidentalem: ergo habet propriam accidentalitatem, & de illa similiter, & sic in infinitum. Consequitur, in divinis si habet propriam realitatem, ut comparatur ad essentiam, ergo illa est substantialis, vel accidentaliter non accidentaliter: quia nullum accidentale est in Deo, sicut in Trinitate, ergo habet propriam substantialitatem. Et tunc Pater paternitatis habebit esse per se, quod est inconveniens: quia tunc erunt in divinitate per se esse, quia tres relationes: cum tamen non sit ibi nisi unicum per se esse, sicut Augustinus de Trinitate, 6. dicens, quod substantia est quae Pater est, & quod filius similiter habet esse, sicut non nisi quae Pater est Pater.

Respondetur, ad primam partem in secundo articulo de distinctione illius propositionis, relatio, ut comparatur ad essentiam, esse res: quia vera est, prout ly, ut, vel in quavis, denotat determinationem, vel specificationem, sive determinatam conceptionem paternitatis sub illa ratione, quae est comparatio ad essentiam. Non est autem vera prout denotat equalitatem inherrentiae praedicati ad subiectum. In primo ergo intellectu, quando quaeritur, quae res sit, dici potest, quod est res ad alterum, quia comparatio ad essentiam non facit, quod paternitati repugnat sua propria realitas, quae est realitas ad alterum: nec tamen est sic intelligendum, quod paternitas comparata ad divinitatem, sit res ad alterum: ita quod alterum sit divinitas, ut sit sensus: Paternitas est res ad divinitatem, sed est sensus: Paternitas comparata ad essentiam, est res ratio: & in se res ad alterum, scilicet ad Filium, quia qui comparat paternitatem ad divinitatem, excludendo Filium, vel non includendo Filium, non

com-

comparat paternitatem, nisi habeat duos contradictoria in intellectu suo, cum paternitas, secundum illud quod est, sit per se ad Filium: Et licet paternitas non sit seipsa comparata ad divinitatem, sed ad Filium ut, ad correlativum, tamen paternitatem ipsam, includendo esse ad Filium, potest intellectus comparare ad divinitatem: quia intellectus potest aliquid comparare per actum suum ad illud, quod non est ejus per se correlativum ex natura rei. Secundum hunc intellectum, potest dici, quod paternitas, ut comparata ad essentiam, est res ad alterum. Sic cum inferatur: ergo ut est essentia, vel ut idem essentia, est res ad alterum, concedatur in simili intellectu. Et ultra, cum dicitur ergo essentia est res ad alterum. Respondetur, hoc potest intelligi dupliciter, per identificatam, vel formaliter. Primo modo potest concedi, & est sensus dicti, quod divinitas est res, quae est ad alterum: quia est paternitas: non autem est concedendum formaliter, quod divinitas secundum suam formam sit ad alterum. Sed quia in antecedente tunc praedicatio formalis dicitur: Paternitas, ut comparatur ad essentiam, est res ad alterum, ideo si inferatur similis praedicatio in consequente, quod divinitas est formaliter ad alterum, neganda est consequentia, quia non oportet quod praedicatum eo modo conveniat determinationi, quo convenit alicui intellecto sub tali determinatione, quando illa determinatio non notatur esse ratio inherrentiae praedicati ad subiectum, sicut hic. Et per hoc patet ad probationes consequentiae. Homo secundum quod rationalis, & consequentia inferatur, ly secundum quod, notat casualitatem inherrentiae praedicati ad subiectum: sic autem non accipitur in proposito hoc, quod dicitur, ut comparatur ad essentiam, & similiter ad probationem sequentem: esse quod praedicatum versus insit illi, quod est ratio inherrentiae alii, hoc non habetur, nisi secundum quod, ly secundum quod, tenetur proprie, reduplicative. Hic autem non est accipitur (ut dictum est) in illa distinctione Logica in secundo articulo. Sed si obijciatur quia illud, quod est in aliquo formaliter potest illud denominare, ergo si relatio, ut comparata ad essentiam, est res in essentia, essentia potest denominari a relatione, & per consequens essentia formaliter referatur ad aliud. Respondetur aliqua denominativa, vel concreta, praedicantur de aliquibus, primo modo per se; aliqua de aliquo per se, secundo modo, sive per accidens; de composito quidem ex susceptivo, & forma praedicatur denominativa sive, concretum formae per se primo modo, sicut homo dicitur rationalis, sive unum, quantum ad conceptum, sicut homo dicitur rationalis, sive animatus per se primo modo, sed corpus, quod est altera pars compositi, dicitur denominative animatum, proprie tamen, sive per se secundo modo, sive per accidens: quia illud non est tantum includens formam, sed susceptivum recipiens formam. Ubique ergo est aliqua forma, oportet dare praedicationem formalem de toto, quae est per se primo modo. Etiam in creaturis, oportet dare communiter praedicationem, sed est proprie denominativa formae susceptivo. In divinis prima praedicatione non negatur: nam Pater generat, sive generans generat, Pater est quasi compositum includens, quasi essentialiter, formam illam.

407

quia de ipso predicatur, sed denominativam predicationem, quasi forma, & quali susceptivo non oportet dare sibi. Hoc declaratur auctoritate, & ratione. Ratione scilicet, quod intelligitur ibi quasi susceptivo forma, est illimitatum ad oppositas formas, vel relationes; & tamen non distinguitur ab eis. Quod autem denominatur a forma aliqua, denotatur per hoc esse distinctum ab opposito: quia ergo hic non est susceptivo proprium forme, sed commune sibi, & opposito, & forma talis denominari non potest nisi proprium susceptivo: quia non nisi distinctum ab opposito, ideo nullus est predicatio denominativa relationum de susceptivo.

Hoc confirmatur per Damascenum *lib. 1. c. 5.* ubi vult, quod relationes determinat hypothetice non naturam. Notatur ergo illud determinare, de quo predicatur in concreto, quia notatur illud comparare ad oppositum, & distinguere ab opposito. Ad formam ergo rationis, quando accipitur, relatio est in essentia, ergo essentia potest denominari a relatione, non sequitur. Et ratio dicta est, & cum dicitur: omnis forma potest denominare illud, in quo est, extendendo denominationem ad predicationem denominativam essentiali in concreto sicut homo est animatus, & ad denominationem proprie dicitur, sicut homo est risibilis, vel lignum est album, vel homo intelligit & concedit esse risibilis, vel lignum forma aliorum modorum denominat illud, in quo est, quia ad minus de composito predicatur in concreto, licet illud sit, extendendo denominationem, sed si tu accipias, de illo, in quo est, ut in susceptivo, predicatum predicatur proprie denominative, negandum est; nisi illud susceptivum sit limitatum, vel nisi predicatio illa denominativa importet subjectum esse proprium, & distinctum ab opposito.

Ad secundum, licet esset magna difficultas de per se, tamen in proposito em pertranseo, concedo tamen, quod relatio, quae est accedens in creaturis propriam habet accidentalitatem; quia illa est per se res, & non est illa res, in qua fundatur: nec est res per se ens, sicut substantia, ita oportet dare, quod ipsamet per se sit res habens propriam accidentalitatem; quae non sit accidentalitas entis ad se, sed accidentalitas entis ad alterum. Sicut enim non est eadem entitas ad se, & ad alterum, sic nec eadem accidentalitas accedens entis ad se, & accedens entis ad alterum. Et cum arguitur, quod est processus in infinitum. Respondendo, standum est in ipsa relatione, nec ulterius proceditur. Verbi gratia, in albedine fundatur similitudo, ista similitudo habet aliquam accidentalitatem propriam ab accidentalitate albedinis distinctam, sicut relatio est genus distinctum a genere qualitatibus. Si quaeratur de accidentalitate similitudinis, si ipsa est alia a similitudine? dico quod non, quia similitudo est sua accidentalitas ad fundamentum, & seipsa accidit fundamento, sicut seipsa est ad oppositum. Universalius enim quod convenit alicui sic, quod omnimoda contradictio sit illud esse sine hoc, hoc est idem realiter illi: & per oppositum, ubi non est omnimoda contradictio, non oportet idem esse omnino; nunc autem contradictio est similitudinem esse, & non esse ad fundamentum, & etiam

non

non esse ad terminum: ideo accidentalitas sua ad fundamentum est idem sibi, sicut ipsamet est similitudo: vel habitu ad oppositum. Status est ergo, quia accidentalitas similitudinis non est alia res a similitudine, sed similitudo est quaedam res alia ab albedine; quia habitu & etiam accidentalitas albedinis potest poni quaedam, res alia ab albedine; quia albedo est quaedam res absoluta; & accedens absolutum potest esse sine contradictione, sine subiecto. Et idem non est idem habituum sine subiecto, nec seipsa accidit illi: talis est ergo illa: quia ratione similitudo accidentalitas albedinis habet aliam accidentalitatem ab albedine, pari ratione accidentalitas similitudinis habet aliam accidentalitatem a similitudine. Falsa est etiam illa, quia ratione accidentalitas similitudinis est eadem sibi, pari ratione accidentalitas albedinis est eadem sibi: quia albedo est ens absolutum; & similitudo relatio. Confirmatur; quia similitudo non est nisi ad unum terminum; habitu igitur similitudo non est ad substantiam habitu, cum sit habitu ad oppositum, scilicet ad simile. Neque fundamentum relationis, nisi quia albedo est ens absolutum, & similitudo uero est relatio. Et ex hoc non est contradictio, albedinem esse sine comparatione ad fundamentum, & ideo illa comparatio non est eadem albedini, ista autem est eadem similitudini; Nihil autem aliud est similitudinem esse, quam habitudinem huius ad hoc. Nec tamen dico, quod relatio ad quodcumque comparatur, seipsa comparatur: quia potest comparari relatione rationis, quae non est ipsa, sed etiam forte potest comparari relatione, quae non est ipsamet, sed quae est realiter alia a se. Sicut proportionabilitas fundatur in proportionem: sed hoc dico, quod relatio seipsa, & non alia comparatione comparatur; si tamen comparatur ad quodcumque sine quo est contradictio ipsam esse. Et cum arguitur ulterius de substantia, licet relationis in Divinis; Dico, quod licet Philosophus distinguat, in Pradicamentis substantiam primam a secunda; tamen ad proportionem essentia habet rationem utriusque substantiae, quantum ad aliquid, substantiam quidem secundae, quod ad hoc, quod ipsa est communis: Notamen quoad hoc, quod ipsa sit universalis; hoc est divisibilis, vel plurificabilis: Est enim communis communicatae reali secundum Damascenum *lib. 4. ibi est communis substantia, non solum rationi*, sicut est in natura creata. Habet autem rationem substantiae primae, quantum ad hoc, quod est esse haec. Sive fingere, quia essentia de se est haec: non dico, quoad hoc, quod est esse incommunicabile, quia hoc esset imperfectionis, Non restat autem alia ratio substantiae, qualitercumque acceptae in Divinis quae erit ultra rationem essentiae nisi ratio incommunicabilitatis. Ista autem in divinis non potest esse per se ratio substantiae, quantum ad communicationem opinionem, secundum quam loquuntur communiter in istis questionibus. Quotiam non movetur de hoc quaestio ad hoc, quia quidquid est sui, non tantum substantia, sed etiam ad se, communicabile est. Patet ergo quod relatio in Divinis, nullam habet rationem substantialem; quia tantummodo habet rationem incommu-

n.ca

biliter, quia nec est ratio substantie secundae, nec prima, quantum
 ad illud quod pertinet ad perfectionem substantiae, quod est esse locali-
 ter inveni convenit essentiae de se. Si arguitur contra hoc; quidquid per-
 tineat ad substantiam primam, habet per se rationem aliquam substantia-
 litatis: huiusmodi est incommunicabilitas, quae non est ibi nisi per
 relationem: ergo &c. Respondeo intelligendo maiorem de incommuni-
 cabilitate pertinet ad substantiam primam, quae est incommunicabili-
 tas singularitatis, ipsa vera est in creaturis; non sic in Deo. Et ratio
 est, quia ultimum contrahens naturam sive ad singularitatem, sive ad
 incommunicabilitatem in creaturis, est eiusdem generis cum natura
 contracta, & per consequens ipsum secundum rationem suam formaliter
 pertinet ad genus Substantiae in Deo non est sic, ut dictum est prius quia
 ut dictum est prius, ad incommunicabilitatem contrahere non potest alia
 quid pertinet ad genus Substantiae vel quasi genus Substantie in Divinis
 quia quodlibet tale est communicabile. Sed adhuc arguitur: illud per
 quod in Divinis fit contractio, vel determinatio, qualitercunque dic-
 ta, ad incommunicabilitatem, vel ad incommunicabile, qualitercunque dic-
 ta, ad incommunicabilitatem, vel ad incommunicabile, secundum
 rationem suam formalem, est substantia, est substantia: ergo substantia: ergo
 non cadit medium; non autem accidens, pater: ergo substantia: ergo
 habet propriam substantialitatem. Respondeo: hic respondet Augu-
 stinus, 5. de Trin. cap. 6, quod non omne, quod in Deo est secundum
 substantiam dicitur, vel secundum accidens, dicitur enim aliquid ibi,
 quod nec secundum substantiam dicitur, nec secundum accidens; ut po-
 te, illud quod ad alterum dicitur. Si adhuc tertio replices sic; illud,
 quod formaliter suppositum in Divinis incommunicabile est, aut est tale,
 cui competit formaliter inhaerere, aut convenire potest, aut cui repu-
 gnat omnino: si primum, ergo est accidens: si secundum, cum illud sit
 substantia, cui impugnat inhaerere alteri; & hoc prout substantia
 distinguitur contra accidens, sequitur: quod habet rationem sub-
 stantiae propriae: & ita propria substantialitatem, quod est propo-
 situm: Respondeo secundum Avicennam secundo Metaphys. Non
 inhaerere, & non posse inhaerere, nec est ratio substantiae, ut substan-
 tia est generis, nec inhaerere est ratio accidentis, vel alicuius generis
 accidentis: quia inhaerere est dare esse: vel actum secundum quid alicui
 priori simpliciter enti: sed substantia est illud substratum, cui conve-
 nit non inhaerere, vel cui repugnat inhaerere, & accidens, vel qualitas,
 vel quantitas, est natura, cui convenit inhaerere. Deur ergo in Divi-
 nis illud inveniunt, quod illud, quo persona in Divinis est formaliter
 incommunicabilis, est tale, cui repugnat inhaerere; repugnat enim illi
 dare esse secundum quid alicui enti simpliciter priori: ergo & inhae-
 rere: & hoc secundum rationem suam formalem; nec tamen se-
 quitur, quod secundum suam rationem formalem habeat propriam
 substantialitatem: quia, ut dictum est, hoc non complet rationem sub-
 stantiae, ut distinguitur contra alia genera. Si quarto replicetur;
 quibuslibet repugnat inhaerere, repugnat eis per aliquam unam rati-
 onem: Substantiae autem convenit; vel alicui de genere substan-
 tia; hoc, & per se proprietari incommunicabili in Divinis; ergo

per

per aliquid dominum est: non per rationem entis: quia entis natura
 pugnat inhaerere, nec per rationem alicuius interioris ente, nisi sub-
 stantiae. Pater discutendo; ergo illa proprietate incommunicabilis
 cui secundum se repugnat inhaerere, secundum se includit propriam
 rationem substantiae: & ita habet propriam substantialitatem, quod
 est propositum. Respondeo, imperfectio aliqua potest repugnare ali-
 cui, vel quia includit perfectionem simpliciter, vel quia includit im-
 perfectionem illi perfectioni repugnantem. Siquidem facta multa in-
 perfectiones repugnantes inter se, verbi gratia, repugnat Deo esse
 album: & nigro repugnat esse album: Deo autem propter perfectio-
 nem simpliciter, quae repugnat toti generi coloris: imo toti generi qua-
 litatis, imo toti generi entis creati: nigro autem repugnat album propter
 perfectionem suam limitatam sub genere coloris, quae perfectio limi-
 tata necessario habet imperfectionem annexam; aliam tamen, & in
 alto gradu a perfectione albi: ergo illa maior neganda est: quibuscum-
 que repugnat eadem imperfectio, cuiusmodi est inhaerere, vel depen-
 dentia ad substantiam, eis repugnat per aliquid idem in ipsis: quia non
 oportet quod eis, quibus repugnat aliquid idem, sit aliquid unius rati-
 onis, quod a parte ipsorum sit ratio illius repugnantis: imo ratio
 propria uniuscuiusque eorum potest esse ratio repugnantis ad aliquid
 idem. Ad propositum, inhaerere, sive dependere ad substantiam est im-
 perfectio, ideo illa repugnat substantiae, cum ipsa talis entitas sit, quod
 sibi repugnat esse entitatem diminutam; quia dat esse simpliciter, sive
 primam, quod est oppositum ei, quod est inhaerere. Cum hoc etiam
 repugnat potest relationi in Divinis, quae licet non det esse simpliciter
 esse per se esse; tamen ipsa talis entitas est, quod repugnat sibi
 esse entitatem diminutam, sive actum secundum quid; inhaerere autem
 repugnat essentiae divinae, quia est perfectio simpliciter; repugnat enim
 relationi divinae, licet non sit perfectio simpliciter, quia ipsa ex ratione
 sua non potest esse entitas imperfecta, & inhaerere non potest competere
 nisi enti dependenti; & per consequens imperfecto.

Ad argumentum principale, cum arguitur, quod relatio, ut com-
 parata ad essentiam est ratio, & quod causa huius est, quia ipsa est
 comparata ad essentiam transit in essentiam, utrumque assumptum po-
 test habere unum intellectum verum, & alium falsum. Potest enim in-
 telligi ratio, ut ratio opponitur rei, sive enti extra animam, & hoc
 est falsum: quia ad quodcumque comparatur, semper est res extra ani-
 mam, propria realitate, quae est ad alterum. Alio modo potest intelli-
 gi ratio, idem quod modus, sive circumstantia rei, secundum Boetium
 sic concedendum est, quod relatio sit ratio respectu essentiae, non tamen
 propter hoc tollitur, quia comparata ad ipsam sit res. Constat tamen
 potest intelligi transire in essentiam, uno modo, ita quod non habeat pro-
 priam entitatem ad alterum, & sic intellectus est falsus. Alio modo
 transire in essentiam, sic quod non remaneat distincta realiter ab essen-
 tia. Et licet non sit hic quaestio de identitate, vel distinctioe relatio-
 nis, & essentiae (immo illa est distinctior quaestioe proposita) tamen con-
 cedi potest, quod relatio comparata ad essentiam est ratio secundum modo,

hoc est modus, & transit in ipsam, non primo modo, sed secundo modo, & hoc modo non manet realiter distincta: est tamen res extra animam propria realitate, quæ est ad alterum, & sic manet, prout manere excludit transitum destructivum propriæ realitatis. Consimiliter, si inferatur in conclusionem, quod ipsa, ut comparata ad oppositum, est ratio, supple respectu essentia, quia sic accipiebatur in præmissa, conceditur. Ad nihil enim comparari potest quod tollat ab ipsa quin sit modus essentia: tamen non sequitur, ergo ut comparatur ad oppositum, non est res: quia hoc modo esse rationem non repugnat ei, quod est esse rem: si arguatur, respectu essentia est res; ergo est alia res, & sic non transit in essentiam quantum ad identitatem realem.

Respondet, quod questio de realitate realem non est questio de alietate: imo prima pertinet ad problema de accidente, vel genere, secunda ad problema definitivum, de eodem, vel diverso. Patet ex 1. Topic. in exemplo etiam patet idem; homo, ut comparatur ad Sortem est res: hmo Sortes, ut comparatur ad Sortem est res. Et utrumque probatur, quia identitas realis non est nisi rei ad rem: homo est idem realiter Sorti, & Sortes est idem Sorti, & ut dicitur idem Sortes comparatur Sorti, patet de se. Nec tamen homo, vel Sortes, ut comparatur ad Sortem est alia res a Sorte. Sic ergo in proposito stat, quod relatio ut comparata ad essentiam, est res; & tamen non alia res. Esti queratur, nunquid est eadem res cum essentia, vel alia? Si datur, quod eadem realiter: hoc tamen non oportet propter questionem propostam: sed sufficit dicere, quod ipsa est res, quæ est ad alterum: sic ergo ad quodcumque comparatur, transit in essentiam, & manet.

QUESTIO IV.

Primum, separata, vel abstracta relatione originis, potest manere prima persona divina constituta, & distincta.

ET arguitur, quod sic: quod advenit personæ constituta, non constituitur, nec distinguitur, prima distinctione; relatio originis est huiusmodi respectu primæ personæ in Divinis: ergo, &c. Probatio minoris: relatio originis sequitur actionem, vel passionem, ex 5. Metaph. illa, quæ convenit primæ personæ, non potest sequi nisi actionem: quia prima persona non est abaliquo: actio autem non potest esse nisi suppositi existensis: ita quod ratio actionis præsupponit rationem suppositi: ergo prima persona est persona, vel suppositum per aliquid prius ipsa relatione. Oppositum; abstracta relatione, non manet nisi essentia, vel substantia communis, quæ non potest esse ratio constituendi personam: quia non est propria, nec incommunicabilis; ergo, &c.

In hac questione, quæ supponit quoddam dictum commune, scilicet quod persona divina constituitur per relationem, quod dictum non dicitur hic: quia est difficilior propositio: sed fit in istis questionibus suppositum, tanquam communitate concessum; non enim oportet omnia

in dubium revocare, ubi suppositis dicitur communibus, propositum potest declarari. Nam ista questio non querit generaliter, si persona divina potest constitui per relationem, sed specialiter de prima persona, quia de ea videtur esse specialis difficultas: & hoc propter prioritatem eius ad alias, quæ videtur repugnare naturæ correlativorum: ergo supponendo communem opinionem de eo, quod queritur, specialiter de prima persona, sunt hic quatuor videnda; primo, specialiter quod aliqua persona divina constituitur per relationem, ut videtur questio supponere, et arguunt specialiter primæ personæ. Secundo, dato quod non: ita relatione potest prima persona constitui. Tercio, qualiter se habent istæ relationes ad invicem, quæ communiter conceduntur inesse primæ personæ; & ultimo patebit, quasi pro quodam correlario, cum quali abstractione, vel separatione possit stare ratio primæ personæ.

De prima accipio hanc propositionem: *Suppositis ejusdem naturæ non repugnat habere proprietates hypostatias, quæ sunt simul naturæ*, probatur ista: quia supposita ejusdem naturæ, non habent inter se prioritatem naturæ, vel prioritatem essentialem.

Et confirmatur per Philosophum 3. Met. concedentem in hoc cum Platone: *in his, quæ sunt ejusdem speciei, non est prius, & posterius*. Nunc autem, ex hypothesi, secunda persona potest constitui per relationem aliquam originis: ergo non repugnat primæ personæ constitui per aliquam proprietatem, quæ sit simul naturæ cum illa; cuiusmodi est alia relatio originis. Præterea: Si specialiter repugnet primæ personæ constitui per relationem originis, non esset propter aliquid commune sibi, & aliis, quia ex hypothesi, non repugnat aliis; ergo propter aliquid, quod est speciale primæ personæ: sed hoc est falsum: quia nihil est sibi speciale, nisi proprietas originis, secundum quam quælibet persona est ab ipsa, & ipsa a nulla: sed propter hanc prioritatem non repugnat sibi constitui per relationem originis ad secundam personam: quia hoc non esset nisi propter similitudinem, quam requirit relatio inter duo extrema, quæ similitas videtur repugnare illi prioritati in hac persona. Sed hoc non est verum. Probo: quando sunt aliqui ordines alietatis tationis, quorum unus non includit alium, nec præexistit, nec coexistit necessario illi, potest iste esse sine illo: imo cum similitate opposita illi ordini. Patet factis in exemplo: ordo durationis, & naturæ, sunt tales, quod ille, qui est naturæ, non includit illum, qui est durationis, nec necessario præexistit, sive coexistit: illo potest esse sine illo. Patet etiam ratione, quia nunquam est impossibile separari, nisi per hoc, quod hoc includit, sive necessario coexistit illud. Nunc autem ordo naturæ sive essentialis, & ordo originis, sic se habent quod ordo originis non semper includit ordinem essentialem, nec ipsum necessario præexistit, nec coexistit: ergo potest stare similitas opposita ordini essentiali cum ordine originis: sed similitas opposita ordini essentiali sufficit ad similitudinem correlativorum: ergo potest aliqua esse simul similitate correlativorum, quæ est similitas essentialis, & tamen esse ordo originis inter ea. Minor, quæ est bipartita, scilicet de non includens

do ordinem, vel non præsumendo illum, probatur: quia ordo nature, siue essentialis, necessario includit imperfectionem in altero extremorum, scilicet in posteriori: ordo autem originis non requiritur, nisi quod hæc sit ab hoc: hoc autem esse ab hoc, non includit necessario imperfectionem ejus quod est ab hoc: quia non includit necessario, quod procedens sit imperfectior natura illo, a quo procedit: processio enim non includit de se, quod sit æquiva, nec per consequens, quod forma imperfectior sit in producto, quam in producta. Iuxta illud, quod supponitur, de secundo articulo, dico, quod alia relatione constituitur secunda persona, & alia sibi opposita, constituitur prima persona. Probatur hæc: prima proprietas incommunicabilis positiva, est proprietatis constitutiva primæ persone: talis est illa, quæ correspondet correlative primæ relationi in persona producta: ergo, &c. Major patet, quia cum persona includat essentiam, & entitatem incommunicabilem, quæ sunt in illa questione supposita, secundum R. l. h. q. de Trin. proprietatis primæ persone, non oportet, quod aliquid per se importet nisi primam entitatem incommunicabilem. Minor patet, quia, secundum sententiam communem in illa questione supposita, nihil potest esse sibi incommunicabile, nisi proprietatis pertinet ad originem, & per consequens in prima persona non est incommunicabile nisi proprietatis pertinet ad primam originem. Illa enim, quæ pertinet ad secundam originem, communicabilis est: quia est datum personarum productionem illam autem quæ pertinet ad primam productionem activam, opponitur illi, quæ pertinet ad primam passivam; sicut enim Filius primam proprietatem habet pertinetentem ad *generari* siue *aiti*, ita Pater primam proprietatem incommunicabilem habet pertinetentem ad *dicere*, siue *significare*, quia illa convenit Patri secundum quod habet intellectum incunctum, quia intelligitur esse prima ratio produciva in Patre.

Contra istam rationem instatur contra utranque istarum præmissarum. Et primo quantum ad majorem. Videtur enim, quod *ingenium* sit prima ratio constitutiva primæ persone: & tunc major est falsa. Quod prima proprietatis positiva sit proprietatis personalis. Hoc probatur auctoritate, & ratione. Auctoritas est Damasceni c. 9. *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater Filii sunt, præter ingenerationem, quæ non significat differentiationem substantiæ, sed modum existentie*. Hæc ille. Ratio autem talis est: primum incommunicabile est prima ratio constituendi primam personam. Hoc probatur: quia cum essentia sit ratio personæ essendi simpliciter, & eulibet personæ etiam essendi hæc: nihil ergo ultra requiritur ad rationem personæ, nisi incommunicabilis: & ita incommunicabilis, & quocunque primo habito, habetur persona: sed *ingenium* videtur importare principium incommunicabile: ergo, &c. Probatio minoris, quod est ab aliquo, & ab ipso alio, prius respicit illud a quo est, quam ipsum quod est ab ipso. Hoc probatur, quia per ipsum prius, a quo ipsum est, habet esse ordo autem ad posterius, præsumpente ejus esse. Ex ista propositione, de ordine positivo ad prius, & posterius, inicitur hoc consequens, quod si aliquid non habet ordinem ad prius, sed tantum ad posterius, quod est ab ipso, per prius sibi convenit negatio

gatio ordinis ad prius, quam ordo ad posterius: nunt autem, prima persona non habet ordinem ad priorem; & habet ordinem ad posteriorem: ergo sibi prius convenit illud quod negat ordinem ad suum prius: tale est *ingenium*. Quod autem prius sibi competat negatio ordinis ad prius, quam ordo ad posterius. Probo, quia non tantum contradictoria referuntur ad idem instans durationis, sed, sicut licet loqui, ad idem *unum*, siue signum nature. Hoc patet inducendo: quia cum hæc sit vera in primo modo dicendi per se, *bonum est rationale*, hæc autem vera in secundo, *homo est visibile*: hæc autem per accidens, *homo est albus*: & sic possunt assignari instantia nature, siue signa nature, quantum ad ordinem istarum predicationum, si assignentur hominibus esse rationalem per se in primo signi nature, siue primo modo, & negent ipsam esse rationalem secundo modo, siue in secundo signi nature non est contradictio. Sicut non est contradictio, si dicatur hominem esse album in tertio signi, & non esse album in primo signi, vel secundo. Patet ergo, quod illa non est contradictio nisi pro eodem signi nature. Et ita in signi originis, esse ab alio, & non esse ab alio sunt contradictoria: patet de se, ergo pro quocunque signi attribueretur alicui esse ab alio, si hoc sibi competet, pro eodem signi attribueretur sibi hoc quod est, non esse ab alio, si hoc sibi competit: sicut ergo est, quod est ab alio, per prius convenit ordo ad illud, a quo est, quam ad posterius: sic est, quod non est ab alio, prius convenit negatio ordinis ad prius, quam ordo positivus ad posterius. Si arguatur contra hoc, quod negatio non habet constitutivam personam. Responderet, quod illud personale, quod intelligitur supradicti essentia, sufficit quod habet primam rationem incommunicabilis: essentia enim personæ tribuit, & esse, & hoc esse, & quidquid positivum est. Si ergo affirmatio, vel negatio possit habere rationem incommunicabilis in prima persona, sufficit ad constitutionem personam: illa autem negatio habet, (ut probatum est,) primam rationem incommunicabilis: ergo, &c.

Contra istum modum dicendi arguitur sic: Proprietatis constitutiva est omnino formaliter, & primo incommunicabilis: nulla negatio formaliter, & per seipsum est primo incommunicabilis; *ingenium* autem, ut distinguitur formaliter ab essentia, & relatione positiva ad productum, non dicit nisi negationem formaliter: quia secundum Augustinum c. de Trin. cap. 6. *cum ingenium dicitur, non quid sit, sed quid non sit ostenditur*: & nullæ auctoritates ad hoc patent; ergo. Prima propositio patet, quia cum persona sit aliquid est persona primo, sit formaliter incommunicabilis; ergo, &c. Secunda propositio patet, quia negatio propria exigit positivum proprium ad quod consequitur: nulla enim negatio est propria omnino alii, hoc est nisi illi necessario conveniens, nisi quia ei repugnat assertivo opposita; assertivo autem quocunque nulli eni repugnat nisi per aliquid positivum, quia si per negationem, quæ in illa negatio consequitur

aliquod positivum, cui repugnat illa alia affirmatio, & sic habetur propositum: aut non consequitur positivum, & tunc negatio omnino prima, est in illa unitate, sive distinctione, & unitate per consequens, quod est inconveniens: aut necessario dabitur, quod negatio consequitur positivum, sed non proprium illi: ergo &c. Et tunc sequitur, quod negatio non est propria illi, quia illud, per quod negatio convenit, non est proprium illi. Respondetur ad maiorem, quod *ingenium* non importat negationem simpliciter, sed aliquid pertinens ad dignitatem: quia hoc, quod est habere, esse a se. Alio etiam modo, quod importat fontalem plenitudinem, quod est perfectionis simpliciter in prima persona, secundum Augustinum 4. de Trinit. cap. 9. Contra primum, cum dicitur, a se, aut intelligitur, quod hoc prepositio A, importat circumstantiam causae, vel principii positivi: & statim patet contradictio: quia secundum Augustinum 1. de Trinit. cap. 1. *nulla mens capit, quod aliquid sit a se*; aut intelligitur negative tantum: quia non habet aliquid pro principio, vel causa, & habetur propositum de negatione. Contra secundum fontalem plenitudinem, aut dicitur negationem, & habetur propositum aut positivum, & tunc vel essentiam, & sequitur quod si *ingenium* sit proprietates personalis, & tunc vel essentiam, aut relationem positivam, & patet quod non nisi ad personam, & tunc, si ad personam, aut ad unam, aut ad plures: non ad producentem, vel producentes: ergo ad productam, vel productas. Si ad plures, non poterit esse unum formale principium constitutum persone: si ad unam, & singularem, aut relationem ad personam primam productam, aut secundam, & tunc non tenetur positum, scilicet quod *ingenium*, ut distinguitur contra paternitatem, vel spirationem, constituit personam, aut relationem unam abstractam ab illis, scilicet paternitate, & spiratione. Et tunc si potest aliqua talis relatio communis abstrahi ab istis duobus, sequitur, quod prima persona non aliqua una relatione, scilicet singulari, signata in existentia, sit persona, sed aliquo modo una abstracta a relationibus duabus, & hoc alterius rationis: quia probatur est in questione precedente, quod duae productiones activae in Divinis non possunt esse ejusdem rationis, & tunc prima persona non constitueretur formaliter aliquo constitutivo unitatis rationis, quasi specificae, sed uno abstracto a duobus quasi alterius rationis. Nec oportet hic immorari, quia multi magistri hic concedunt propositum quantum ad majorem, quod aliquo incommunicabili positivo constituitur prima persona, de qua est hic sermo. Cum ergo arguitur pro ista opinione pro ingenio per Damascenum, patet per eum responso ibidem: *subdit enim in solis proprietatibus paternitatis & filiationis, & processions, differentiam cognoscimus: ergo quando prius accepit omnia praeter ingenerationem &c. intelligendum est, quod sub ingeneratione comprehendit paternitatem sicut patet in divertis capitalis ejus, nunc nominat unam prociertatem primae personae, nunc aham; & per consequens per unamquamque intelligit quaecumque proprietatem propriam. Ad rationem, concedo, quod ordo ad prius quodammodo praecedit in aliquo ordinem ipsius ad posterius: maxime quan-*

quando ordinatum est in se absolutum. Concedo etiam, quod negatio ordinis ad prius in absoluto; praecedit ordinem positivum ejusdem ad posterius: sed non sic in illo quod constituitur formaliter per ordinem ad posterius, quia nullus ordo in illo potest esse prior, nec etiam negatio ordinis, quam sit ordo quo constituitur. Si ergo esset suppositum absolutum, posset concedi, quod ingenium esset quodammodo prius paternitate: sed cum probatur generaliter de quocunque supposito, & de ordine ad posterius, & negatione ordinis ad prius: illa propositio, quia dicitur, quod contradictoria referuntur ad idem nunc, non solum in ordine durationis, sed etiam naturae, & originis est vera; intelligendum de per se contradictoriis, prout affirmatio comparatur ad negationem: non est autem vera, intelligendo de affirmatione, & negatione comparando ad rectum, de quo dicitur. Exemplum. Album pro A, & non album pro B, non contrariantur inter se, nec ad quodcumque comparantur, & hoc intelligendum per A, & B: sive signa durationis, sive signa naturae, vel originis: Sed si ista comparantur ad aliquid, cui conveniunt, vel convenire possunt, non oportet quod si album convenit ipsi C, pro A; quod non album convenit ipsi C pro A. Nihil enim est, quod non omnino primo ipsum sit ipsum, sicut homo omnino primo est homo, & si homo est lapis, sicut omnino primo lapis; sicut lapis est lapis: tamen non omnino primo est non lapis: quia nulla negatio potest esse eadem aliquid primo, sicut ipsum est ipsum primo. Concedo ergo, quod intelligendum est esse ab aliquo, & non esse ab aliquo, referri ad idem instans, sive nunc cujuslibet ordinis, ad hoc quod sint contradictoria: ut, scilicet pro quo nunc affirmatur esse ab alio, quod ponit, pro eodem nunc, non esse ab ipso: et tunc illud idem non oportet quod illud, quod ista dicuntur, conveniat aequo primo, non esse ab: sicut illi conveniret esse ab: si esse ab, sibi conveniret, & per consequens supposito, cui convenit negatio ordinis ad prius, prioritate originis, non aequo primo convenit ista negatio, sicut conveniret affirmatio ordinis, si illum ordinem haberet.

Alter respondetur adhuc ad rationem, & adhuc ad maiorem, scilicet: quod licet persona prima ad secundam sit relatio originis sola una realiter, tamen illa distinguitur secundum rationem, prout est habitudo primae personae ad secundam. Potest enim intelligi sub ratione aptitudinis ad generandum, ut exprimitur sub nomine generativi: & sub ratione potentiae, ut suppositum exprimitur per hoc, quod est potent generare: vel sub ratione habentis gemitum coexistens, ut exprimitur sub nomine Patris. Illa ergo relatio personae prima ad secundam, quae est realiter una, secundum illam rationem constituit primam personam, secundum quam dat est esse personale. Hoc autem est secundum primam istarum rationum: quia secundum quamlibet aliam, videtur competere personae jam constitutae: prima autem omnino est ratio generativi: ergo, & c.

Haec minor declaratur, quia illa est prior secundum quam immediata habet ordinem ad oppositum: nam in ordine ad oppositum autem

dicitur ista distinctio rationum. Mediatitas autem respicit oppositum sub ratione illa, quæ est, *pater*: & immediatitas sub illa ratione, *generativitate*. Hoc etiam declaratur, quia illa rationes secundum quandam ordinem se includunt, & non e converso. Non enim omne generativum est potens generare, sed e converso: sicut nec omne potens generare generat, sed e converso; nec omne generans est pater, utpote si moriatur ante formationem latus in utero: sed e converso, omnis pater, qui habet fatum generatum coexistentem, generat, vel generavit: videtur ergo generativum esse primum tanquam inclusivum in cæteris, vel eis præsuppositum. Quando ergo accipitur in minori rationis principalis, in isto articulo, quod *generare* est prima proprietas incommunicabilis in prima persona, hoc est verum loquendo de illa relatione secundum rem, quam importat *generans* vel *generare*: sed non loquendo de ipsa sub ratione *generare* sed sub ratione generativitatis quia sic est prior, & si huic addatur, quod secunda persona constituitur per *generari*, ut *generari* tunc illa est illa prima persona constituta per relationem oppositam illi, quæ constituit secundam personam: & hoc intelligendo non de relatione eadem secundum rem, sed de ratione eisdem relationis realis.

Aliud respondetur ad eandem minoram, quod constitutum primæ personæ potest dupliciter considerari: uno modo, ut proprietatis: alio modo ut relatio; constituit autem, ut proprietatis, & per consequens non ut relatio correspondens relationi in secunda persona.

Contra ista arguitur dupliciter. Primo contra ambas conjunctim. Secundo contra utranque divisim. Conjunctim sic, relatio non constituit personam nisi secundum quod est in re, & ex natura rei; alioquin non constitueret per se ipsam realem, quæ reale non constituitur nisi per illud quod est in re, & ex natura rei: ista relatio primæ personæ, non est in re ex natura rei, nisi in ratione actualissima possibili sibi: ergo quantumcumque possit considerari per intellectum; sed sub ratione aptitudinis, vel actualitatis, cum non constituit personam divinam, nisi ut est in re ex natura rei, & hoc non est nisi sub ratione actualissima, sequitur, quod non constituit nisi sub ratione actualissima. Per idem contra secundam responsum, quia est intellectus possit considerare circa paternitatem, rationem proprietatis, & rationem relationis, non tamen ipsa est in re, nisi sub unica ratione reali; sub illa ergo constituitur, & sub illa non potest esse ad se, ergo relatio. & non nisi relatio correspondens secundæ personæ: & ita sequitur propositum. Secundo sic; ideo ponitur ista distinctio, in una via, principii generativi, & in alia, proprietatis, & relationis, ut videtur constitutum primæ personæ esse omnino simul cum constituto secundæ personæ: quia videtur aliquo modo esse prius: sed non oportet hoc vitare tanquam inconveniens: quia ut arguimus est in primo articulo, ubi sunt ordinem distincti, & *ergo simul* sunt ordo originis inter primam personam, & secundam, five inter constitutum hujus, & illius, & similitas correlationis: non ergo, ut videtur ista similitas, oportet ponere illam generativitatem constitutum patris, vel aliam proprietatem, & non paternitatem, quantum ad primam viam; nec etiam paternitatem ut proprie-

prietatem, non ut relationem; quantum ad secundam viam; quia omnino sub ratione reali constituitur & sub illa est ad secundam personam, & ita simul cum illa. Confirmatur: quia quod necessarium dat esse potest alicui, ex hoc necessarium est prius origine illo, & simul natura cum eo ita quod non potest esse sine eo; non est ergo repugnantia inter esse prius origine, & esse simul natura; sed necessaria concomitantia, quando est perfecta origo, & completa. Confirmatur illud exemplo, sed forsitan includit aliquod dubium: si Soror est pater Platonis, non solum Soror est prior origine Platoni; sed Soror pater, prior est origine Platone filio; Probo, quod paternitas est per se causa prioritatis originis. Includendo ergo totum illud, quod est per se causa alicuius prioritatis, non per hoc tollitur illa prioritas: ergo Soror pater, pro ut includit paternitatem, quæ est causa prioritatis, adhuc est prior origine Platone filio, ubi includitur ratio posterioritatis originis; & tamen Soror, ut pater est simul natura cum Platone filio, sicut correctivum cum correctivo. Possit etiam confirmari ratio principalis contra utramque responsum ad istam minorem, quia in secunda persona non ponitur distinctio aliqua in constituto: nec etiam secundum aptitudinem, necessarium actualitatem, nec secundum relationem proprietatis, & relationis: & tamen æqualiter requiritur entitas positiva & entitas relativa ad constituendum primam personam sicut secundam: quia utraq; est æque incommunicabilis, & utraq; est æque actualis; & secundam communem viam, nulla potest esse prima entitas incommunicabilis nisi relatio originis.

Contra primam viam arguitur specialiter: primo per hoc, quod aptitudo non est primo incommunicabilis; non enim videtur aptitudo incommunicabilis, nisi vel per fundamentum, cuius est, vel per terminum, ad quem. Si enim aptitudo ut aptitudo non est primum, sed est alicuius entis, cui aptitudo convenit, nec eorum unitas sine incommunicabilitatis erit omnino primis sed reducatur ad aliquam entitatem, quæ, si sit communicabilis, etiam aptitudo consequens est communicabilis. Si cum enim natura humana communicabilis est, aptitudo sensibilis consequens est communicabilis. Et communicatur responsum per aptitudinem videtur minus efficax, nisi daretur aliquid per quod sit illa aptitudo, aliquo modo esset solvere omnia, dicens hoc sic est, quia talis aptitudo est. Non sufficit hoc; si enim queratur quare lapsi descendit, non sufficit respondere, quia aptus naturæ est illi assignatus, quæ est ratio aptitudinis, quia, scilicet gravis, & hoc, quia sic mixtum est: quia, scilicet, ista talis secundum tetra; quod est elementum grave: & terra gravis, quia talis secundum aliquam qualitate priorem, vel quia talis secundum quiddam specificam. Quando ergo arguitur per istam rationem, quod relatio constituitur sub rationes generativitatis; quia sub ratione illa constituitur, sub qua dat primæ esse incommunicabile; generativitatis, ut talis, scilicet ut distinguitur a *generare*, est huiusmodi: minor ista dupliciter est talis; & ut sic, non dat esse actualissimum, qualem solum potest esse in Divinis; & quia ut sic, non dat esse incommunicabile primo, quod verò requiritur ad esse personale. Probatio etiam illa de mediatio, & immediatio

tiori, concludit pro nobis, quia loquendo de relatione originis primi personae ad secundam, ipsa solum habet illam rationem, sub qua respicitur immediate secundam, est ibi actualissime, & simpliciter incommunicabilis: in eo circumscripta illa ratio sine nulla alia est ibi actualissime, nec incommunicabiliter. Quod innuitur in illa probatione, quod rationes aliquae ejusdem relationis quasi sunt personae jam constitutae; respondetur in responsione ad primum principale. Possit etiam illud de immediatiori aliter adduci per conclusionem nostram, quae secunda persona formaliter constituitur relatione: ut immediate respicit primam personam: non enim ponitur illa constituitur generalitate; & pari ratione in proposito. Quando autem confirmatur illa ratio per hoc, quod generativum includitur in qualibet alio non e converso, hoc non concludit prioritatem constitutionis personalis: quia non prioritatem in actualitate incommunicabilis; sed tantummodo in consequendo, & ut plurimum, quae sunt priora in consequendo, sunt communicata, & minus incommunicabilia. Contra secundam nulla entitas una, sic figurata potest esse extra animam, quin vel sit formaliter ad se, vel ad alterum; Licet forte, secundum aliquos, possit esse aliquem conceptum indifferenter haberi, qui nec per se existat ad se, nec ad alterum: tamen nulla res extra animam potest esse indifferens, quin per se entitas habeat ad se, vel ad alterum, detur illud ergo, quod dicitur constituisse ut proprietates, dicitur: quarto ergo consequenter, an entitas ejus in se sit formaliter ad se, vel ad alterum: si formaliter ad se, constitutum per ipsum est formaliter ad se, quod ipsi negant; si formaliter ad alterum, ergo illud sub ratione formalis qua constituit, est relatio; quod est propositum. Praeterea cum dicitur, paternitas ut proprietates; quare quidem intelligitur? vel reduplicatur ibi formaliter constitutum personae, aut aliquid consequens in re, vel in intellectu formale constitutum ejus. Si secundo modo: de ergo illud formale constitutum, ad quod sequitur illud, quod ipsum non est nisi paternitas, ut paternitas: quia modus ille non consequitur nisi illam realitatem formalem; ergo constitutum est per se entitas ad alterum. Si primo modo, cum proprietates praecise relationis rationis importent, sequitur, quod illa prima persona constituitur relatione rationis; quod est absurdum. Quod autem praecise importet relationem rationis, probatur; quia dicitur habitudinem paternitatis ad patrem. Paternitas autem ad patrem, nullam habet habitudinem nisi rationis: quia ut distinctio. Ita ratio, & principalis conclusio contra istam distinctionem, declaratur sic. Quantumcumque sit relatio realis ad oppositum realiter distinctum, tamen intellectus potest comparare illam ad fundamentum, vel subiectum in quo est: & si ibi non sit distinctio realis, nulla potest ibi esse comparatio, nisi per intellectum, & solius rationis. Nunc autem intellectus potest considerare illud sub ratione istius comparationis, vel relatione rationis; sed per hoc enim quod sic considerat, nihil variatur in ratione illius, quod primo considerat. Exemplum: nobile comparatur ad hominem, sub illa ratione, & habitudine, qua est proprietates ejus: & rationale, ut est distinctio specifica, & humanitas comparatur ad ho-

nd.

minem sub ratione, qua est natura, sive quidditas ejus. In omnibus istis comparationibus, non variatur essentia per se ejus; quod comparatur. Si enim quaratur, qua ratio risibilis est demonstrabilis de homine, vel est per se passio ejus risibile ut risibile, ita quod si verum est hoc, risibile ut proprietates demonstratur de homine, per illud, ut denotatur aliquid constituens rationem risibilem; non autem distinctivus ab ejus ratione, etiam ut comparatur ad ipsum: unde si risibile secundum quod risibile est qualitas, etiam ut per se passio demonstrata de homine est qualitas, non autem est relatio, licet illud, quod dicitur modum ejus, scilicet proprietates, dicat relationem. Constat illud, si rationale ut rationale sit substantia, suo modo, rationale, ut differentia specifica hominis est substantia hominis, licet hoc, quod est esse differentiam, importet quandam relationem rationis, quia intentionem secundam; & sic universaliter, quod quid reale convenit alicui considerabili secundum se, & secundum aliquam habitudinem rationis, si dicitur sibi competere ut tale, scilicet ut proprietates, vel differentia, non dicitur per se ratio illius, quod habet illi habitudinem, nec illa habitudinem est formalis ratio alicujus praedicati realiter inherrentis: sed tantummodo est ratio, sub qua illi, quod habet, competit illud praedicatum. De ista reduplicacione ejus quod dicitur, ut tale, patet in praecedente quaestione, articulo secundo. Ad propositum, paternitas ut proprietates, cum non habeatur ibi nisi quaedam relatio rationis, scilicet sententiae per eadem ratio cuiuscunque praedicati effecti de subiecto, & ita paternitas ut paternitas, sit relatio, paternitas ut proprietates erit relatio. Si enim intelligatur, ly, ut proprie, ut causalitas inherrentis praedicati realis ad subiectum, sicut ista est falsa, paternitas, ut proprietates est relatio ad filium, ita illa est falsa, paternitas, ut proprietates est relatio realis, sed sic est relatio rationis: quia hoc, quod est esse proprietatem, non est ratio inherrentis alicujus praedicati realis, cum ipsum dicat formaliter relationem rationis. Specialiter autem de constitutione reali extra animam, nihil juxta tale, ut, quia quod constituit formaliter aliquid reale, oportet esse reale, & ut reale.

Aliter dicitur adhuc ad minorem quasi exponendo istam responsionem secundam de proprietate; quod essentia divina constituit personam, non tamen absolute ut essentia, sed ut sola ratione distincta a relatione. Primum probatur sic, quia personae convenit per se subsistere sola autem essentia est ratio subsistendi: quia secundum Augustinum 7. de Trin. c. 6. vel 9. substantia est, quae per se patet est. Eisdem sup. c. 4. omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus. Per relationem autem comparatur persona ad oppositum. Contra illud, cum dicitur, quod essentia, ut sola ratione distincta a relatione, constituit personam primam; aut ly, ut, dicit formaliter rationem respectu praedicati: aut quid constituit formaliter rationem. Si primo modo, cum hoc quod est differre sola ratione relatione, non importet nisi relationem rationis, sequitur, quod relatio rationis est ratio formalis constituenti personam. Si secundo modo, tunc quare illud respectu cuius illud, ut, dicit ratio-

nem

nom consequentem hoc non potest poni nisi essentia secundum se: quia in dicitur, quod essentia, &c. ergo essentia secundum se erit ratio constitutiva in se, quod tu negas. Præterea, essentia ut sola ratione distincta a relatione aut est communicabilis, aut non? Si communicabilis, ergo communicabile formaliter constituitur incommunicabile: si incommunicabilis, & essentia, omni modo etiam ut essentia sola ratione distincta a relatione, tantummodo est ad se, & ita non formaliter ad alterum, sicut ratio, & tamen non resister distincta a relatione; ergo essentia omnino, ut essentia est, sola ratione distincta a relatione, & tunc ut prius, essentia ut essentia constituitur. Consimiliter potest argui, si essentia ut sola ratione distincta a relatione, constituitur, tunc essentia aut est ad se, aut ad alterum: si est ad se: ergo constituitur formaliter est ad se: si ad alterum, ergo essentia, ut essentia erit ad alterum, quia essentia ut essentia sola ratione distincta a relatione, sicut probatum est. Præterea generaliter constitutum est constitutio ratio differendi, vel convenienti, non autem ipsum, ut convenienti, vel differens, sed secundum se constituitur; sicut rationale secundum se, non ut convenienti, nec ut differens, constituit hominem, licet homo constituitur per rationale, nec ipsum distinguitur formaliter, vel conveniat. Distincta ergo, vel convenientia convenit constituto per rationem formalem constitutum, non autem includitur in ipsa ratione constitutiva. De ergo hic aliquam rationem constitutum, quæ si conficere ratio convenientia, vel distincta, ita tamen quod in ipsa ut est ratio constitutiva non includatur per se primo convenientia, vel distincta. Ad argumentum autem pro illa via de *subsistere*: dico, quod *subsistere* est æquivocum; uno modo accipitur pro per se esse, prout excludit *inhabere*, & in alio esse, ut patet in toto; & hoc modo unum est *subsistere*, sicut unum est per se esse: & sic loquuntur auctoritates Augustini. Alio modo *subsistere*, est incommunicabiliter per se esse, & hoc modo sunt res subsistentes, sicut sunt res personæ, quia res subsistentes incommunicabiliter, licet non finit unum per se ens; maior ergo ista, *constitutivum personale dat esse subsistere, vel est ratio subsistendi*, debet intelligi secundo modo, quia est ratio incommunicabiliter subsistendi.

De tertio articulo videtur, quod si aliquid constituitur sub ratione prioris ipso separato per rationem a ratione posteriori, possit remanere constitutum. Qui ergo diceret, quod ratio originis ad secundam personam constituit primam, sub ratione generativæ, quæ est prior ratione generationis, ut generatio; videtur consequenter dicere, quod separato, sive circumscripto *generare*, possit prima persona remanere, vel in se, vel in intellectu considerante, sed in re non possit hæri circumscriptio unius sine altero, quia sunt idem realiter. Consimiliter si *generare* est prius paternitate, & *generare* sub ratione *generare*, constituitur et primam personam videtur, quod prima persona possit remanere circumscripta paternitate, ut paternitas est. Hic ergo duo sunt videnda. Primo de re, si aliqua distinctio proprietatum in prima persona, non quarumcumque (quæ est de ingenito, & spiratione activa), non est hic firmo) sed illarum quæ dicunt relationem originis inter primam personam, & se-

cun-

secundo est hoc, cum quali circumscriptio, vel abstractione possit prima persona remanere. De primo dico duas conclusiones. Prima est illa, unica, sola, & omnino unica est ratio originis inter primam personam & secundam: ita quod nulla est distinctio talis relationis qualitercumque in re ante meram considerationem intellectus. Secundo dico, quod illa relatio, quæ omnino unica est sic in re, potest ratione distingui, sive diversis rationibus considerari. Primum probatur dupliciter. Primo sic: unica, & sola est omnis ab uno perfecta origo, & hoc intelligendo originem activam univaciam a parte originantis; & univaciam passivam a parte originati, licet hæc, & illa sint quodam modo due: relatio autem originis inter primam personam, & secundam dicitur perfecta rationem originis secunda persona a prima: ergo est tunc unica: & hoc accipiendo active a parte patris: & tunc est unica activa in patre, & quasi passiva a parte filii: & est ibi etiam unica passiva. Probatio majoris: illa non est perfecta origo univaciam ab alio, quia circumscripta; nihil minus ipsum esset perfecta origo univaciam ab illo; sed si sint plures relationes originis qualitercumque distinctæ a parte rei, sine A & B, una earum circumscripta, adhuc secunda persona esset originata a prima: quia altera ut A est relatio originis, & non nisi perfecta origo: ergo B non est perfecta origo, sive relatio perfecta originis inter illas; sed si essent distinctæ ab A esset relatio originis perfecta & distincta. Consimiliter arguitur de B circumscripta A, & ita utriusque illarum circumscripta esset secunda persona a prima, quia per alteram originationem, & non esset, quia perfecta ejus origo esset circumscripta. Si dicitur, non potest A circumscripti manere B, nec e converso. Illud non valet, quia duabus originibus, quarum utraque sit perfecta non potest idem suppositum originari ab eodem, per utramque enim totum habet totum esse, quod potest accipere a producere, & idem impossibile est, quod per alteram, sive manentem cum ea; sive quocummodo modo accipiat aliud esse. Hoc secundo arguitur per quoddam argumentum magis Logicum, quia relationes distinctæ qualitercumque in re, sic, quod non sint omnino unica formaliter realiter, non prædicantur de se invicem in abstracto, licet sint in eodem supposito. Hæc enim est falsa: paternitas, sive generatio activa est spiratio activa sive inaspirabilis; secundum August. 15. de Trin. c.6. non est hæc idem dicere ingenitum. quod est, dicere patrem: quia est filium non genuisset, nihil prohiberet ipsum esse ingenitum. Illa auctoritas habet summi intellectum, quia in secundo articulo dictum est, quod relatio ad secundam personam præsupponitur ingenito, sed saltem tantum habemus, quod non est hæc vera prædicatio in abstracto, paternitas est inaspirabilis; hæc autem est vera: generatio activa est paternitas, & e converso, & generativitas est generatio activa: sicut paternitas, & e converso.

Contra istud. Relatio pertinet ad secundum modum, fundatur super actionem, & passionem. ex. *Metaphy.* & ad propositum videtur ibi dicere, quod pater dicitur: quia genuit, sicut filius, quia genuit esse; sicut ergo fundamentum non est idem relationi, nec e converso, sic generatio, & paternitas: hoc confirmatur per Hilarium de Trin. cap. 14. Exi-

113

ita autem a Deo est absoluta necessitas, quam paternitas nominis confectura est confesso. Vult ergo dicere, quod paternitas consequitur natiuitatem, siue generationem, & hoc declaratur per hoc: quia pater non est pater ex hoc, quod generat, sed precise per hoc, quod habet genitum coexistentem sibi; habere autem genitum coexistentem, videtur differre ab eo quod est generare: quia in animalibus, descendens semen habet actum generationis, sicut sibi conuenit actus: & tamen tunc non habet genitum secum coexistentem, & per consequens, tunc non est pater, sed postea.

Dico tamen, quod in Deo omnino eadem ratio realis est generatiuitatis, generare paternitas: quia secundum Augustinum de fide ad Petrum, cap. 2. proprium filius patris est, non quia non est natus ipse, sed quia filium generauit, & secundum Hil. 12. de Trin. patri proprium est, quod semper est pater, & filio, quod semper est filius, & ponit Magister sententiarum auctoritates, lib. 1. dist. 26. non est autem nisi una proprietas personali unius persone: ergo est eadem hæc, & illa; est tamen ista proprietas distincte considerabilis, & sic est potens habere distinctas rationes, & hæc in secunda conclusio hic proposita, & iuuabit ad solutionem obsectorum. Hæc dupliciter quidem potest assignari differentia rationis, siue rationum, sub quibus potest considerari ista relatio. Una quantum ad differentiam, siue indeterminationem, vel abstractionem in considerando: alia quantum ad possibilitatem, vel actualitatem, vel completionem, siue determinationem. Quantum ad primam possunt illa considerari: producens naturaliter, & simile in natura producens, & tertio, incommunicabiliter existens, & quo ad hæc producens. Et patet, quod tertius modus est indeterminatior secundo, & secundus primo.

Secundo autem modo possum concipere hunc hæc generatione generatum; hunc potentem hæc generatione generare; hunc hæc generatione generantem: hunc, quia hæc generatione genuit: hunc quia hæc generatione habet genitum secum coexistentem. In creaturis prima differentia est universalitatis, sic quod extendit se ad plura. Secunda differentia quæ est hæc rationis, est ibi realis, & cum separatione reali: pro eo quod aliquid imperfectiorem importatur per se in uno, quod non in altero: & licet in Diuina prima differentia rationis possit aliquid modo saluari in una consideratione intellectus, ita quod remaneat conceptus indeterminationior, non remanente conceptu determinatiori, tamen in re non iuuat: quia omnino idem est in re, quod subternitur illi conceptui & illi. Secunda differentia in Diuina saluat differentiam conceptuum, siue diversarum modorum concipiendi idem; tamen applicando ei, quod est in re debet in quolibet accipi, quod est perfectioris, & omni quod est imperfectioris. Nam in aptitudine, & potentia imperfectioris est separati ab actu. In actu est imperfectioris, quod non statim habet secum terminum: & quod non manet, sed transit, & in eo, quod quod consequitur actum suum: sicut paternitas est imperfectioris, quod non est semper in summa actualitate communicationis nature; perfectioris autem est: quod manet, & habet secum correlatum coexistentem. Ablati ergo imperfectioribus, & retentis his, quæ sunt perfectioribus generatio

non est tantum dispositiua ad terminum, quod complete productiua termini; quæ quidem generatio perfecta, & generatio completa, & generatio non transiens, sed semper manens includit totum, quod requiritur: Paternitas etiam, quæ non sequitur actum generandi quasi dispositiua & præuium, & ita transiens, & uacet in sua actualitate completa, quæ semper est incompleta communicatione nature, ipsa includit totum quod requiritur: generatio ergo illa completa, & æterna, & paternitas illa completa, & æterna, & paternitas illa completa, & æterna, & paternitas illa completa, & æterna actualitatis, omnino idem dicuntur esse parte rei: sed unam generationem, quam paternitas: & e converso est de alia.

Ex his patet ad objecta in primò articulo, quæ videntur probare aliquam distinctionem ex natura rei inter generationem, & paternitatem; quando primo arguitur, quod paternitas fundatur super generationem actiuam ex 9. Metaph. illud requiritur prolixiorum tractatum. Et de hoc satis dictum est alibi: tamen ad propositum dico, quod si aliquo modo generatio est prius paternitate in creaturis non tamen est in fundamentum, sed ipsa potentia generatiua, siue natura, quæ generat, est fundamentum: sed est præuia ut dispositiua, siue qua non existente, paternitas non inest: ita quod ibi est distinctio, sicut est inter dispositionem præuiam, & terminum completum. Patet ergo quod ista ratio distinctionis non manet in Diuina, quia ibi non est generatio nisi completa, & necessario secum ponens terminum in esse: nec est paternitas consequens communicationem. Ad Hilarium potest responderi, quod nomen paternitatis potest dici sequi generationem, secundum quod ista in Deo comparatur ad generationem, & paternitatem in creaturis: est quidem tunc quædam consecutio secundum rationem, sicut in creaturis est consecutio realis. Ubi enim aliquis sunt distincta secundum rationem, similes habent ordinem rationis, quoniam habent realem, & illi est distincta realiter, sicut alia dictum est. Si quis autem protetve insisteret in verbis huius auctoritatis, potest facilliter responderi: quod confessio nominis paterni consecuta est creationem mundi, & forte nomen paternum, & hoc loquendo de confessione, & nomine a quocumque intellectu creato, sed ipsa paternitas non est consecuta, nec natiuitatem filii, de qua inciditur in auctoritate Hilarii, nec etiam generationem patris, nisi consecutio rationis de qua dictum est. Per hoc patet ad aliud, quod dicitur de paternitate, quod est habitudo habentis secum genitum, & ideo distinguitur a generatione in creaturis: & per oppositum hic non distinguitur nisi ratione.

Ex istis duabus Conclusionibus, quomodo, scilicet unica est in re relatio originis primæ persone ad secundam, quodammodo tamen distincta secundum rationem, patere potest quomodo prima persona manere potest separata relatione originis ad secundam: si intelligatur de manere in esse reali, patet quod non: nec oportet distinguere de ista relatione, ut secundum unam rationem, vel aliam, acceptam: quia quantum ad rem, unica est, & ita unica separata in re non manet consti-

totum per ipsam. Si intelligatur de *manere* secundum considerationem intellectus, & hoc absque implicatione contradictionis, ut sic scilicet, an in consideratione intellectus separata relatione originis inter primam personam, & secundam, possit manere sine contradictione intellectus prima persone: distinctione illa videtur utendum, quæ prius posita est de diversis rationibus existentium relationis, quia ipsa separata secundum omnes illas rationes, & hoc intellectus sic circumferente eam a supposito, non manet in intellectu alijsupposito relatum relatione talis originis, quia quamvis intellectus concipit relationem taliam originis secundum nullam rationem inesse supposito, contradictio est, quod simul concipiatur suppositum relatum tali relatione: separata tamen illa relatione apud intellectum secundum suam rationem posteritatem, non est contradictio, quod non est in intellectu supposito relatum secundum rationem priorem. Illæ autem rationes in intellectu nostro habent rationem conceptibilis prioris, & posterioris, sicut nature essent concepti ab objectis proportionaliter motibus nostri intellectus. Separata tamen relatione originis ad secundam personam secundum quantumque rationem ejus, sive quantum ad indifferentiam, sive indeterminationem, sive quantum ad actualitatem, sive actualitatem, sive præteritionem: adhuc forte sine contradictione possit intelligi quæ incommunicabiliter subsistens. Sed si queratur quo formaliter intelligitur esse incommunicabiliter existens, respondeo, ab ipso conceptu relativo incommunicabili, & ab illa forma absoluta incommunicabili forte possit abstracti quidam conceptus indifferentioris hæc, scilicet forma, vel entitas, incommunicabilis, & illud in suo singulari proprio possit intelligi esse quo hujus persone, licet non intelligatur in singulari aliquo alioquin conceptus inferioris, licet intelligo aliquando non solum ens: sed hoc ens, vel substantiam hanc, non determinate concipiendo in intellectu meo singulare alioquin inferioris: puta hoc animal, vel hunc lapidem, sicut quando video a terminis, prius apprehendo, quod est corpus, quam animal, & animal, quam hoc animal; & istum conceptum indifferenter forme incommunicabilis forte intellexit ille, qui concepit suppositum in Divinis, non determinando in intellectu suo illud suppositum esse absolutum, vel relativum, quomodo oportet dicere de Philosophis, nisi ponatur, quod omnis eorum de Deo conceptus ad extra sit falsus: quia planum est, quod non conceperunt hoc suppositum relativum movere celum: & tamen aliquid hoc suppositum posterunt movere celum; quia actio non est nisi suppositi: si ergo non conceperunt rationem suppositi incommunicabilis indifferenter ad suppositum absolutum, & relativum, necessario conceperunt hoc suppositum absolutum movere celum, quod est falsum: nec istud dictum esse conceptu alioquin indifferenter ad absolutum, & relativum: & de conceptu incommunicabilis suppositi ad suppositum absolutum, vel relativum, repugnat illud, quod dictum est supra, quod quantumque certius signata in re vel est formaliter absoluta, vel formaliter ad alterum: quia bene possibile est ab aliquibus abstracti conceptum indifferenter, nec absolutum, nec relativum:

& ra.

& tamen quidemque signatum existens extra animam necessario, & determinate est hoc, vel illud, ita quod indifferenter conceptus abstractibilis a pluribus non concludit indifferenter singulariter existentis ad hoc, vel illud.

Ad Argumentum principale, patet in solutione questionis, quod minor est neganda, & ad probationem ejus conceditur, quod illa relatio constituit primam personam pertinet ad originem: imo ipsa est originatio activa. Et cum accipitur, quod actio præsupponit suppositum. Respondeo, quod prima entitas incommunicabilis non præsupponit aliud ens incommunicabile: nec per consequens præsupponit suppositum, quia suppositum est ens incommunicabile: actio autem prima productiva sive productio prima, vel originatio activa est prima entitas incommunicabilis in Divinis: quia illa nihil præcedit nisi memoria perfecta, vel essentia, & totum hoc est communicabile: sed primum producere non potest communicari; quia tunc productum per illud produceret se, quod est impossibile: nulla enim mens hoc capit secundum Augustinum primo de Trin. c. 1. Cum ergo accipitur, quod actio non potest esse nisi suppositi existentis: si intelligatur hoc de esse hypostatico potest intelligi, vel suppositi existentis aliqua entitate priori ipsa actione, vel suppositi existentis hypostaticæ ipsa actione formaliter: & sic dupliciter potest intelligi: primo modo est falsa, quia non est ibi entitas hypostatica, quia nec incommunicabile ante actionem: Secundo modo est vera, quia ipsa actio est ens hypostaticæ; quia incommunicabiliter. Sed arguitur contra hoc quia omnia agere præsupponit esse: ergo agere non potest esse prima ratio essendi ipsi agentis. Respondeo esse in Divinis potest accipi vel pro esse simpliciter, vel pro esse incommunicabilis: simpliciter non est ibi nisi unum esse, sicut supra dictum est per Augustinum essentia, esse autem incommunicabile, vel hypostaticum est ibi aliud, & aliud: sicut alia, & alia persona. Si ergo accipias in proposito, quod agere præsupponit esse simpliciter, quod est esse ad se, concedo. Si autem accipias, quod agere præsupponit esse hypostaticum, quod in proposito non est nisi esse ad alterum, falsum est: quia ipsum agere est primum esse ad alterum, sicut ipsa actio productiva est prima habitudo ad alterum. Et si arguas quod non solum agere præsupponit quodammodo esse, sed præsupponit potens agere. Si enim nihil est potens agere, tunc non erit actio: sed potens agere nihil est in proposito nisi suppositum: ergo ut prius agere præsupponit suppositum. Respondeo hinc posse agere nullo modo a parte rei præsupponitur ipsi agere: imo agens est primo potens ipsi agere, sed præsupponit illud, quo ut principio formali aliquid est potens agere. Illud, & omnia dicta in solutione istius argumenti potens agere, si concipiatur hoc, quod aliqua habitudo realis unius originis est inter primam personam, & secundam: illa enim unica est productiva activa, & est habitudo productivæ ad productum, sed ut communiter loquimur de productione tantum de habitudine, vel relatione, causam ipsam habere aliquid ut iudicamentum; quando loquimur de actioe, concipiuntur non habere principium formale pro-

Part. V. Quæstio

422

ductivum: si ergo alicui non est difficile concipere, quod relatio non præsupponit suppositum, sed tantum essentiam, quæ est quasi fundamentum, sicut conceditur communiter secundum communem viam, non est difficile concipere; quod actio non præsupponit suppositum, neque ut agens; neque ut potens agere: sed tantum præsupponit entitatem, quæ est quasi ratio formalis agendi. Si contra istud sequitur actio in Divinis non est pure ratio, sed aliquid absolutum. Hoc dictum licet in creaturis a quibusdam negaretur, sicut de actione productiva, quia non videtur, quod ratio productionis activæ possit intelligi ad se, sed ad alterum: tamen quidquid sit hoc in Divinis, actio productiva est mere habitudo, quia secundum Augustinum *5. de Trin. cap. 5. §. 10.* Omne, quod est in Divinis, aut secundum substantiam dicitur, aut ad alterum, & quod secundum substantiam dicitur commune est: origo igitur quæcumque sive dicitur actio, sive passio formaliter est relatio: Si tandem arguitur Logice, omnis actio denominat aliquid agens, sed in proposito non denominat nisi suppositum: denominans autem præsupponit illud; quod per ipsum denominatur: ergo, &c. Ad hoc patet ex responsione ad primum argumentum in tertio articulo questionis præcedentis, ut dictum est, quod nullum personale in Divinis proprie prædicatur denominative de aliquo subiecto incommunicabili de quo est modo sermo, licet forte posset dici prædicari denominative de aliquo significante essentiam communiter in concreto, ut Deus est generans. De tali denominatione non oportet hic loqui, quia talis prædicatio denominativa verificatur pro aliquo contento sub subiecto. Quare autem non sit ibi proprie denominatio, sive prædicatio denominativa de subiecto non transcendente, causa est, quia proprie prædicatio denominativa de subiecto, non est nisi in concreto: & non de eo, quod includit proprium, sed de subiecto receptivo proprii: Proprietas autem personalis in Divinis non prædicatur de aliquo in concreto non transcendente, nisi de ipsa persona constituta per ipsam, & ita includente ipsam; ergo de illa non denominative prædicatur: sola autem essentia est ibi quasi subiectum receptivum talis proprietatis; sed de essentia non prædicatur in concreto propter causam, quam tangitur in fine primi articuli questionis sequentis.

Consequenter quaeritur de relatione originis in Divinis quantum ad perfectionem suam intrinsecam, & est questio.

Q U Æ S T I O V.

Utrum relatio originis sit formaliter infinita.

Arguitur quod non, quia quidquid est formaliter infinitum; est perfectio simpliciter, quia non potest esse magis perfectum, quam infinitum formaliter: relatio originis non est perfectio simpliciter; ergo, &c. Probatio minoris: una persona habet relationem originis, quam alia non habet: si igitur illa esset perfectio simpliciter, una persona haberet aliquam perfectionem simpliciter, quæ alia careret, quod est inconveniens. Oppositum arguitur sic: Ens dividitur per finitum, & infinitum prius quam descendat in decem genera; ergo quodcumque

ens, etiam non sit in aliquo genere, erit finitum, vel infinitum; relatio originis non est finita; quia tunc non esset idem realiter essentie divines finitum enim non potest esse idem realiter infinito; igitur ipsa est formaliter infinita.

Hic sunt tria videnda: primo de intellectu questionis. Secundo, quid est tenendum de questione. Tertio dicitur occurrentia excidentiarum.

De primo, *Infinitum* secundum Philosophum; *Physi. est cuius quantitatem accipimus*, id est, quantumcumque accipimus, *semper aliquid veluti accipere*: & ratio est, quia infinitum in quantitate (sicut loquitur Philosophus) non potest habere esse nisi in potentia; accipiendo semper alterum post alterum, & ideo quantumcumque accipitur illud non est nisi finitum, & quædam pars totius infiniti potentialiter, & illo testatur aliquid alterum ipsius infiniti accipendum. Ex hoc concluditur, quod si est infinitum habet esse in fieri & in potentia in quantitate, ita non habet rationem totius quia totum est, cuius nihil est extra se, extra illud infinitum, hoc est, extra illud, quod habet esse de ipso, semper est aliquid extra; nec est perfectum, quia perfectum est, cui nihil perfectius deest: si isti semper aliquid deest. Ex hoc ad propositum commutemus rationem infiniti in potentia, in quantitate, in rationem infiniti in actu, in quantitate, si posset sibi esse in actu. Si enim tunc necessario semper cresceret quantitas infiniti per accceptionem partis post partem, sic imaginaretur omnes partes acceptibiles esse simul acceptas, vel simul remanere, haberemus infinitam quantitatem in actu: quia tanta esset in actu, quanta esset in potentia. Et omnes illæ partes, quæ in infinita successione essent redactæ in actum, & haberent esse post alias, tunc simul essent in actu acceptæ, illud infinitum in actu vere esset totum, & vere perfectum totum, quia nihil sui esset extra; perfectum esset quia nihil sibi deesset: imo nihil posset addi secundum rationem quantitatis; quia tunc posset excedi. Ex hoc ultra. Si in entibus intelligamus aliquid infinitum in entitate in actu, illud debet intelligi proportionabiliter quantitati imaginatæ infinite in actu, sic ut ens illud dicitur infinitum, quod non potest ab aliquo inentitate excedi: & ipsum vere habebit rationem totius, & perfecti. Totius quidem; quia licet totum infinitum actu in quantitate nulla parte sui, nec etiam parte quantitatis talis, careret, tamen qualibet pars esset extra aliam, & sic totum esset ex imperfectis; sed ens infinitum in entitate sic nihil entitatis habet extra: quia nec ejus totalitas dependet ex aliquibus imperfectis in entitate: Sic enim totum est, quod nullam habet partem extrinsecam: quia tunc non esset totaliter totum: ita etiam quantumvis infinitum in actu esset perfectum in quantitate quia sibi secundum se totum nihil, quantitatis talis deesset: tamen cuilibet parti ejus deesset aliquid quantitatis: que scilicet esset in altera, nec ipsum esset sic perfectum, nisi quodlibet ejus esset imperfectum. Sed ens infinitum sic est perfectum, quod nec sibi, nec alicui, ejus deest aliquid. Sic ergo ex ratione infiniti posita in *tertio Physi. primo* & applicando secundum imaginationem ad infinitam quantitatem, in quantitate si esse possibiles: utriusque applicando ad infinitam